

JOH. GEORGIUS *Sorstl* Senftenbergensis. Venit is ad nos *Cal.*
Septembrib. anni M D C L X X. *prioribus quidem annis beneficio In-*
quilinorum Scholæ sustentatus, posterioribus tribus verò liberali victu
arque hospitio Nobiliss. & Excellentiss. I C T I Dn. GEORGII
MARSMANNI Reipubl. nostræ Syndici vigilantiss. cui pluri-
ma se debere fatetur, studia sua scholastica laudabili diligentia tra-
ctavit & continuavit, omninò credens, quod scribit M. STEPHA-
NUS PRÆTORIUS (Tract. XIII. de propria specie JESU LI) JESU-
LUM in suis annotare pugillaribus diligenter illos discipulos, qui
pia humilitate & devotione confederint ad pedes suorum Gama-
lielium, auscultent ex ardenti amore, in tabellas mentis suæ refe-
rant, nobilemque verbi divini thesaurum in iisdem gerant, fidem
habeant, eamque opere ac facto ipso demonstrent, unde ijs sancti
inserviant Angeli, deque cibo ac potu prospiciant. *Rari sunt, qui*
hoc credant, unde pauci etiam, qui faciant. Quid ergò mirum, si F Ö R-
 STELIONostro & *alimentum corporis obtigit & pabulum mentis.* Atque
 ex hoc etiam publicè fuit auditus, tum quando *tres Psalmos CXXIX,*
CXXX, CXXXI. Carmine Latino & Germanico indutos ann.
 M D C L X X I V. tum nuper adeò sub finem mensis Martij de CHRI-
 STI *Salvatoris FLAGELLIS sermonem elegantem Latium* in publico
 consessu recitavit. Ego ipsi, præmissa divina Spiritûs S. gratia,
 Patronos ulteriores ex animo apprecatus, post feliciter absoluta
 studia Academica officium dignum animatus voveo atque exopto.
 Concivis verò ipsius CHRISTOPHORUS *lehmann Canticum*
Mysic ex Deuter. c. XXXII. quod olim elegantissimis numeris Tro-
chaicis inclusit Dominicus Baudius Belga, metro elegiaco redditum succi-
net. Utrique solitam Patronorum & Fautorum nostrorum præ-
 sentiam atque audientiam expeto & exopto.

Valete in Domino prosperrimè. Anno salutis, quo
 Læta fides les V bonltatI InnIXa reCVMblt.,